



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Censuris, In Qua Sex Disputationibus De Poenis Ecclesiasticis, deque
Irregularitate fusè tractatur, cum Indicibus necessariis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

IX. Expenditur 8. excommunicatio aduersus impediētes ne Romanæ
curiæ victualia, aliaque necessaria deferantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76667)

oppugnandam, absque dubio in excommunicationem incidere, quia absolute certiores faceres infideles de statu temporali Christianae Reipublicae in eius damnum. Sicuti tradit Hugolin. in praesenti num. 2. Sayrus cap. 11. num. 3. Duard. can. 7. quast. 30. Bonac. disp. 1. q. 8. punct. 2. numero 29. Quod a fortiori procedit, si tempore quo Princeps eligendus est, monetas haereticos de statu electionis futurae, qua monitione facta haereticis electionem Catholici Principis diuertere conantur. Ut bene aduertunt Hugolin. Duardus & Bonacina locis alleg.

19 Sed an sub hac actione comprehendatur Tabellarius deferens litteras infidelibus secretum Christianae Reipublicae continentes, cum ipse probabiliter conficius est iniquitatis; Dissentunt Doctores. Nam Suar. disput. 2. 1. sect. 2. numero 58. Hugolin. in praesenti, in verbo necnon illo, vers. secundo. Duardus dicto canon. 7. quast. 11. numero 1. & q. 38. numero 16. Bonac. tit. 1. de censur. disput. 1. q. 8. punct. 1. in fine, affirmans quia moraliter censendus est reuelare, sicuti censetur comburere, qui ignem applicat. Sed alij contrarium non improbabilius censent, quia reuelatio cum sit quaedam manifestatio, & locutio nullatenus praestatur a Tabellario litteras sigillatas deferente; non enim ipse reuelat, sed reuelationem deferit. Applicans autem ignem dicitur comburere; quia ignis solum physice non moraliter combustionem praestat; at litteras mittens, & physice, & moraliter secretum reuelat, eoque de causa deferens reuelationem ab hac denominatione reuelantis excusari potest.

20 Deinde graues Doctores, Hugolinus in praesenti, vers. secundo affert. Duard. canon. 7. q. 31. numero 2. & q. 34. numero 2. Alencius lib. 5. disputat. 8. cap. 10. vers. sed modo perquirendum, Bonacina disputat. 1. de censur. Bulla. q. 8. pun. 1. numero 4. censent reuelantem secretum Christianae Reipublicae fidelibus, quos credit infidelibus reuelaturus sub hac censura comprehendendi, quia verum infidelibus moraliter reuelare censetur saltem mediare. Sed contrarium rectius censuit Suar. disp. 2. 1. sect. 2. num. 58. quia in praedicta clausula solum puniuntur reuelantes per se, vel per alios statum Christianae Reipublicae infidelibus. At sic infidelibus reuelans nequaquam dici potest infidelibus per se, vel per alios reuelare, cum ipse fidelis reuelans nomine proprio reuelent; non autem nomine prius reuelantis, qui nunquam ipsius reuelationem demandant.

21 Tertia actio, quae in hac clausula sub censura prohibetur est auxilium, consilium, & fauor. Sed quibus praestandum sit consilium, & auxilium & in qua materia, ut hanc censuram inducat; difficultate non caret. Nam ut ex superius probatis constat, satis probabile videtur verba illa, Illique ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet praestant, referenda esse ad eos, qui Catholicis certiores facientibus haereticos de statu Christianae Reipublicae auxiliantur. Quo casu non est dubium, Tabellarium deferentem litteras reuelatorias statum Christianae Reipublicae contineri. At quia frequenter expostores illa verba intelligunt de auxilio, consilio, & fauore infidelibus, & haereticis praestito in damnum Christianae Religionis, ea de causa explicandum est qui censentur comprehendi. Et breuiter dico comprehendens esse qui consilium haereticis praebet qualiter Catholicos oppugnare possent. Item qui eos in pugna iuuat. Item qui iuuat in armorum equorum, aliorumque prohibitorum delatione, ac tandem in status Reipublicae manifestatione.

Ut autem hac censura consulentes, & auxiliantes afficiantur, necessario videtur requiri damnum Catholicis re ipsa fieri; quia sique fiat damnum, non censetur consilium, & auxilium esse datum habere, esseque perfecta; siquidem ratione damni prohibentur. Ut constat ex illo relato ad id, quod ad damnum refertur, sicuti tanquam probabile defendit Bonac. disp. 1. q. 8. p. 2. num. 2. 5. & 26.

22 An autem ob periculum vitae alteriusve grauissimi damni excusari possent consulentes & fauentes infidelibus, & haereticis in damnum Christianae Reipublicae; Aliqui Doctores censent excusatos non esse, cum damnum maximum Reipublicae inferatur, alias non inferendum, sicuti videtur sentire Molina tit. 1. de inst. disput. 1. 1. conel. 4. Suar. disput. 2. 1. sect. 2. num. 60. Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 18. num. 123. Sanch. lib. 1. in decalog. cap. 7. num. 18. post med. Reginald. lib. 9. praxi. cap. 18. num. 299. quia bonum commune priuato anteponi debet, ad quam antepositionem praestandum vt potest iure naturae debiti iuste Pontifex censuras compellit. Sed rectius contrarium censuit Sayrus lib. 3. cap. 1. num. 18. Nauar. in cap. ita quorumdam de iudicis, not. ab. 8. num. 26. Petr. Nauarra. lib. 5. de reslit. cap. 4. dub. 2. Corduba sem. q. 137. Azor. tit. 1. lib. 2. in sit. mor. cap. 7. q. 6. Man. Rodrig. in expos. bullae. §. 9. num. 83. & alij relati a Sanch. loco citato. Nam esto consulentes, fauenteve infidelibus in damnum Christianae Reipublicae a peccato non excusentur, credendum tamen est a censura excusari; quia isto eo casu posset Ecclesia eos censura afficere, verosimilius est eam voluntatem non habere, vt potest a pietate, & benignitate Ecclesiae alienam.

Ferd. de Castro Sum. Mor. Pars V. L.

Ad extremum reuocantur in hac clausula omnia privilegia in contrarium concessa dominis, Principibus, Rebus publicis, & particularibus personis. Nam vt tradit Syluest. verbo Excommunicatione 7. num. 58. Tabiena eodem. 6. §. 6. Tolet. in expos. huius canon. §. 5. dub. 1. Sayrus lib. 3. cap. 1. n. 36. Genuentibus, & Venetis concessum privilegium erat a variis Pontificibus apportandi plumbum, & stannum, aliaque prohibita ad Turcas, ideo hac clausula reuocantur.

PUNCTVM IX.

Expeditur octaua excommunicatione aduersus impediētes, ne Romanae curiae victualia, aliaque necessaria deferantur.

- 1 Refertur Textus.
- 2 Qui finis huius excommunicationis sit?
- 3 Quae sint personae aduersus quas fertur?
- 4 Quae sit materia?
- 5 Quae sint actiones hac excommunicatione prohibita?
- 6 Vt iustus titulus excuset ab hac excommunicatione debet esse certus, non dubius, quod difficultate non caret.
- 7 In foro externo impedimentum praestitum a persona publica praesumitur iuste appositum esse. Secus a priuata.
- 8 Princeps desinens victualia, quae ex alieno territorio per suum transferantur ad Romanam curiam, non videtur huic excommunicationi subiecti.
- 9 Hoc impedimentum apponendum est directe, & formaliter.
- 10 Quid nomine Romana curia intelligatur, ad quam victualia deferuntur?
- 11 Proponitur ratio dubitandi, an impediens victualia illius, qui in proprium usum, vel in usum particularis personae deferat subiectus huic excommunicationi.
- 12 Quid respondeat Bonac.
- 13 Probabilis censo re hac excommunicatione non esse ligatum.
- 14 Non ob quorumlibet victualium impedimentum ligaris haec censura, sed debet esse quantitas grauis.
- 15 Haec excommunicatione solum ad impediētes, & eorum defensores extenditur.

Octauo excommunicat, & anathematizat Pontifex omnes impediētes, seu inuadentes eos, qui victualia, seu alia necessaria ad usum Romanae curiae adducunt, ac etiam eos qui ne ad Romanam curiam adducantur, vel afferantur prohibent, impediunt, seu perturbant, seu hoc facientes defendunt per se, vel alios cuiuscunque fuerint ordinis, praeminentiae, conditionis, & status, etiam Pontificali, seu regali, aut alia quavis Ecclesiastica, vel mundana praesulgent dignitate.

Hac excommunicatio lata est in utilitatem, commodum, honorem, defensionem, & potestatem Romanae curiae, ne scilicet rebus quibus indiget destituatur. Quapropter aduersus hanc constitutionem delinquens ultra iniustitiam quam committit, facinorosus est, vt potest offendens Ecclesiasticum tribunal, quod maxime ex personis Ecclesiasticis coalefcit, sicuti notat Caietan. verbo Excommunicatio, cap. 19. Sayrus lib. 3. thesauri, cap. 12. numero 2. Reginald. lib. 9. capite 19. num. 307. Filiucius tract. 16. cap. 7. q. 1. numero 15. Duard. lib. 2. in expos. huius canon. 10. num. 3. Bonac. disput. 1. q. 9. p. 1. in praes. num. 15.

Personae aduersus quas excommunicatio fertur sunt omnes & singuli cuiuscunque dignitatis etiam Imperialis, & Regalis victualia, seu alia necessaria Romanae curiae impediētes, illorumque defensores, siue per se, siue per alios, vt constat ex tenore Bullae.

Materia est impedire, siue dolo, & fraude, siue per vim, ne victualia ad Romanam curiam deferantur, deferentesque prohibere, & perturbare ne deferant, necnon eos, qui hac facientes defendunt per se, vel alios. Materia circa quam excommunicatio versatur sunt victualia, aliaque ad usum Romanae curiae necessaria. Nominē victualium intelliguntur quae ad esum, potum, & vestitum deferuntur. leg. vitus & leg. caetera, de verb. significat. at sub iis quae necessaria sunt ad curiam Romanam omnia illa veniunt, quae curialibus tunc ad habitandum, tum ad negotia, & munera peragenda tunc ad honestam eorum recreationem deferre possunt. Sed an sub iis verbis litterae comprehendantur, ita vt impediētes Tabellarium, aut alium nuncium litteras deferentes in hanc excommunicationem incidant? Negat Bonac. disp. 1. q. 9. p. 1. n. 10. nisi in illis litteris chirographum contineatur, quo pecunia ad Romanam curiam cambitur, quia litterae non pertinent ad victualia, neque ad usum curiae Romanae necessarium. Quando autē chirographum hoc contineatur, cum hoc pecuniae dilationi aequiualet, merito sub rebus necessariis contineri debet. Ego verò ex illimo fideliter continentes chirographum

phum sub nomine victualium aliarumque rerum ad vsumque Romanæ curiæ necessarium continentur etiam quælibet litteræ de negociis, librisque tractantes comprehendere debent: cum hæc curialibus æquæ ac pecunia necessaria sint, tum ad mutuum cum absentibus communicationem, tum ad negotiorum expeditionem, & litium decisionem, beneficiorum, aliarumque gratiarum imperationem. Alia tamen via excludi possunt litteræ ab hac materia, eo quod pietusque non ad curiam Romanam, sed ad singularem personam deferuntur. Prohibitio autem est de impediendis victualia, aliisque necessaria ad vsum Romanæ curiæ. Quæ autem necessaria sunt: ad vsum personæ singularis, non curiæ Romanæ necessaria esse censentur. Vti inferius examinabimus.

5. Actiones quæ hac constitutione prohibentur sunt tum impedire siue dolo, & fraude siue per vim, ne victualia, seu alia ad Romanam curiæ necessaria deferantur, tum prohibere, impedire, seu perturbare volentes deferre, ne deferant. Tum defendere per se, vel alios hæc facientes. Quæ omnes actiones iniustitiam denotant. Quapropter si iusto titulo impediatur Princeps, ne ex sua civitate victualia Romana deferantur; quia illis indiget ad suorum subditorum sustentationem ab hac censura excusatur; quia hæc non est prohibitio, seu impedimentum ne ad Romanam curiam victualia adducantur, sed est suorum defensio, & protectio; tamen ex ea protectio sequatur, ne in Romanam curiam victualia deueniant. Vti notavit Caiet. verbo Excommunicatio. capite 19. Nauarr. capite 27. num. 64. Sayrus lib. 3. capite 12. num. 4. Suar. disp. 21. sect. 2. num. 63. Quod ad id verum existimo, vt esto Princeps iniquo animo duceretur, ne Romanæ curiæ merces suæ civitatis deferrentur, adhuc censuram non incurret; quia hæc non ob prauam intentionem, sed ob iniustum impedimentum imponitur. Vti notat Bonac. disp. 1. q. 9. p. 1. num. 3. Prava autem intentio non reddit actionem externam iniustam, tamen si reddat illam charitati contrariam.

6. Vt autem iustus titulus à culpa, & censura excuset, plures Doctores, Suar. disp. 21. sect. 2. numero 64. Duard. lib. 2. in can. 7. quæst. 10. num. 1. Filiucius tract. 16. capite 7. quæst. 2. num. 156. Bonac. disp. 1. quæst. 9. de censuris bullæ, part. 2. num. 7. censent debere esse certum non dubium: nam stante dubio videtur lex certa possidere, aduersus quam ne quis procedere. Sed hæc doctrina diffinitate non caret casu, quo impediens possessionem impediendi habeat: nam esto à lege certa nequeas te eximere ob causam dubiam, id verum est cum pro lege est possessio. At stante possessione pro parte impediens non videtur impediens ob causam dubiam se à lege eximere, sed ob causam certam. Præterquam quod stante dubio, an possit Princeps impedimentum victualibus deferendis præstare, æquum non est quod per legem ea potestate cessi dubia solueretur. Si cui non est æquum quod ad ieiunandum obligetur qui dubius est an 21. annum compleuerit, quia stante dubio stat pro eius libertate possessio.

7. In foro autem externo si impedimentum præstetur à persona publica præsumitur iusto titulo appositum esse. Secus verò si à persona priuata, vt bene aduertit Bonacina disp. 1. de censur. quæst. 9. punct. 3. num. 2. quia persona publica plerumque ius habet detinendi victualia ob bonum suorum subditorum. Secus verò persona priuata, & cum præsumptio sumatur ex his quæ frequenter contingunt, præsumi debet personam publicam ius habere impediendi, secus personam priuatam. Ex qua præsumptione colligitur cui incumbat onus probandi iusto modo titulo impedimentum appositum esse; an impedito, an impediendi. Et dicendum est, si impedimentum appositum est à persona publica, impedito competere onus probandi iniuste impeditum esse: si autem à persona priuata appositum impedimentum est, ipsi impediendi competit onus probandi iusto titulo impedimentum appoluisse.

8. Hinc deciditur; An Princeps victualia quæ ex alieno territorio ad Romanam curiam aduehantur, & per suum territorium transeant deciens: ob suorum subditorum necessitatem hac censurâ ligetur? Respondet Bonac. disputat. 1. q. 9. punct. 2. num. 20. incidere, si Romana curia æquæ grauem necessitatem patiatur; quia in pari necessitate melior est conditio possidentis. At Romana curia ea victualia virtualiter possidet, cum in eius vsum destinata sint, & ad ipsam deferantur. Præterea in graui necessitate nemo potest alienum inuito domino surripere, ergo nequit Princeps ob grauem tantum necessitatem ea victualia detinere. Sed rectius contrarium censuit Hugolin. in exposit. bullæ cæne. capite 8. vers. non dolo malo. Duard. lib. 2. in can. 8. q. 4. num. 2. eo quod stante graui necessitate subditorum iuste Princeps detinet victualia, quibus ea necessitas succurri potest. Nam esto Romana curia æqualem, vel grauiorem necessitatem patiatur; dum ea victualia non possidet, illiisque propria non sunt, impedire nequit Principem, ne suis subditis grauius indigentibus consulari deratione victualium, quæ alicuius possidet. Neque obest quod deferens intentionem haberet deferendi ea victualia in Romanam curiam; quia ea intentio Romanæ curiæ ius in victualia non concedit. Ergo ex vi illius impediendi non potest Princeps, per cuius

territorium transeant, & quorum possessionem habet, ne illa in subuentionem suorum subditorum expendat.

Porrò impedimentum apponendum est directè, & formaliter: non autem consequenter, & per accidens; quia verba legis, & maxime penalis propriè accipienda sunt. Vnde Romanæ curiæ victualia deferentem impediens, vel alio modo detinens, animo inquam te ab illo vindicandi, non autem impediendi victualia censuram non incurrit; quia illa actio speciem sumit ab eo quod est per se, non autem ab eo quod per accidens contingit, iuxta leg. non omnes. ff. si certum petatur, ac proinde non est victualium impeditiua, sed deferentis victualia vindicatiua. Sic Viuald. in exposit. bullæ cæne. num. 71. ualias 12. Sayrus lib. 3. thesauri. c. 12. in fine. Durand. lib. 2. can. 8. q. 10. m. 17. Bonac. disp. 1. q. 9. p. 2. n. 14. & 17.

Rursus victualia ad Romanam curiam deferri debent, vt impedientes hac censura afficiantur. Nomine Romanæ curiæ intelligitur locus vbi Pontifex causis decidendis suum tribunal constituit. Clement. De Romani de Electione.

Hinc oritur grauis difficultas; An impediens pergentem ad Romanam curiam, & deferentemque victualia in proprium vsum, vel in vsum particularis personæ in eadem curia commorantis incidat in hac censuram? Ratio ea est; quia verò impediens deferens victualia ad Romanam curiam, tamen in vsum particularis personæ deferatur, constituit autem solum requirit impedimentum præstare deferenti victualia ad Romanam curiam, id est ad locum Romanæ curiæ, non verò vt Romanæ curiæ quatenus talis est deferantur, cum hoc raro contingat, & ferè sit impossibile. Satis enim est quod aliquibus ex Romana curia deferuntur victualia possint, vt censentur curiæ Romanæ deferuntur.

In hac difficultate distinctione vtitur Bonacina disputat. 1. de censur. quæst. 9. punct. 2. num. 10. & 12. Censenturque te censuram incurtere, si spoliis victualibus eum, qui in vsum alicuius curialis ea deferebat. Secus verò si ea deferebat in proprium vsum, vel in vsum alterius personæ, quæ curialis non sit. Priorem partem probat; quia ex eo quod ea victualia alicui curiali deferantur, censenda sunt curiæ Romanæ deferuntur, cum curia Romana ex hominibus ad tribunal Pontificis pertinentibus coalescat. Secunda pars inde probatur; quia si persona cui victualia deferuntur non est curialis, ea victualia licet non possint deferri ad vsum Romanæ curiæ. Si autem deferantur in proprium vsum, non censentur in vsum Romanæ curiæ deferri, etiam si deferens curialis sit; quia constitutio distinctionem facit inter deferentem victualia, & eum in cuius vsum deferuntur, vt constat ex illis verbis: Qui victualia, seu alia ad vsum Romanæ curiæ aduehant.

Nihilominus probabilis censet te impediendum victualia in vsum determinatæ personæ, tamen curialis sit non ligat hac censura. Vti docere videtur Viuald. in exposit. bullæ cæne. numero 74. Sayrus lib. 3. thesauri. capite 12. numero 4. in fine. Duardus lib. 2. can. 8. quæst. 10. numero 6. & 18. Reginald. lib. 9. practi. cap. 19. num. 307. Quia absolute dici non potest impedire deferentem victualia ad vsum Romanæ curiæ, cum curialis ille nec sit, nec curiam principaliter constituat, & verba legis maxime penalis strictè accipienda sunt. Quapropter necessariò requiritur, vt deferens victualia non determinet personam in quorum vsum deferuntur, sed absolute deferat in locum Romanæ curiæ, vt in vsum illorum, qui curiam constitunt deferantur, non quidem vt omnibus collectiue deferantur: id enim raro potest contingere, sed vt omnibus diuisiue his, vel illis. Præterea hi ex eo quod in vsum alicuius curialis victualia deferantur, censentur in vsum curiæ Romanæ deferri; cum deferens curialis est, & in vsum proprium ea victualia deferat, censenda sunt deferri in vsum curiæ Romanæ, Non enim deferens deterioris conditionis esse debet quodlibet alio curiali. Igitur si impediens deferentem victualia in proprium vsum hac censurâ non comprehenditur, neque etiam comprehendit debet deferens in vsum alicuius curialis determinati.

Aduertendum est non ob quorumlibet victualium impeditiua hanc censuram contrahi, sed oportere grauem esse quantitatem. Quæ autem hæc sit arbitrio prudentis decidendum est, tum spectato sine præcepti, qui est ne curiæ Romanæ desint quæ ad eius vsum sunt necessaria, tum spectata qualitate rerum quæ deferuntur. Vti notavit Filiucius tract. 16. cap. 3. punct. 3. n. 160. Bonac. disp. 1. q. 9. punct. 3. n. 4.

Denique hæc excommunicatio solum ad impediens, & eorum defensores extenditur, non autem ad consules, mandantes, vel approbantes impeditionem; quia esto ijurialiter impediens, non tamen physicè, & propriè, vt per legem requisitum est. Sic tradit Duardus in exposit. huius can. 8. lib. 2. q. 3. & q. 10. num. 21. Bonac. disp. 1. q. 9. punct. 2. num. 21. aduersus Hugolinum in exposit. huius censuræ cap. 8. p. 2.